

æquitatem: quia post conclusionem in causa potest iudex ex magna æquitate admittere testes, aliasque novas probationes. Menochius de Arbitrar. judic. lib. I, quæst. 35, n. 22; Farinacius, cit. quæst. 73, n. 272, pluresque alii ab his citati. Accedit Socinus, tract. de Fallentiis, reg. 403, fallent. 35, dicens, quod, quando subest aliqua justa causa, tunc subveniatur per restitutionem in integrum ex clausula generali, per l. I, ff. Ex quibus causis major, etc.

170. Atque ex officio iudicis. Quo ad iudicem nunquam censetur conclusum in causa. — Limitatur tandem eadem regula in iudice: quia quoad iudicem nunquam censetur conclusum in causa; atque ideo ex officio post conclusionem in causa potest partes examinare, testesque interrogare, ac recipere pro informatione, ulterioremque probationem partibus injungere; ut c. Cum Joannes. 10. § Ad hoc autem. de Fide instrument.; Fagnanus in c. Qualiter. il. 2, n. 67, de Accusat. Jason in d. Repetit. l. Admonendi, n. 62, ff. de Jurejur. citans Angelum consil. 295; Farinacius d. quæst. 73, n. 266; Gailus cit. lib. I. Practic. observat. 107, n. 5, allegans alios, et addens, ita quotidie in Camera observari; et concordant proxime dicenda in simili n. 177. Tacentur nonnullæ aliæ limitationes, apud citatos auctores videndæ.

171. Probationes elapso termino ad probandum concesso, an possint admitti altera parte invita? Loquendo de termino peremptorio per legem, vel statutum præfixo ad probandum, nequit id fieri. — Queritur IV. Utrum probationes elapso termino ad probandum concesso, adhuc possint admitti, etiam invita altera parte? Resp. I. Loquendo de termino peremptorio per legem, vel statutum præfixo ad probandum, tunc eo elapso, ac parte altera contradicente, novæ probationes audiri non possunt, nisi probato justo impedimento. Ita Abbas in c. Cum in tua. n. 14, et Innocentius ibid. Qui matrimonium accusare poss.; Felinus c. Licet causam, n. 47, h. t.; Mascardus, de Probat. concl. 1236, n. 43, allegans alios. Idque desumitur ex l. Quinquaginta. et l. Scire oportet. § Consequens. ff. de Excusat. tutor. ubi post lapsum quinquaginta dierum, qui dantur tutori ad se excusandum, quis amplius non auditur; et si secus fiat, sententia inde consequens non valet. Accedit ratio: quia terminus legis ad probandum est præfixus cum magna causæ cognitione, et per se principaliter, velites nimium protrahantur;

ergo nequit per iudicem invita altera parte prolongari: nam, « quæ contra jus sunt, debent utique pro infectis haberi, » juxta reg. 64 juris in 6 cum concordantiis.

172. Nisi probato justo impedimento. — Additur tamen, « nisi probato justo impedimento. » Tali enim impedimento probato potest quis audiri post dictum terminum: ut l. Ob commissa. c. ad Leg. Jul. De adulteris, ubi merito reipublicæ causa absentis non currit tempus ad accusandum de adulterio uxorem per leges præfixum. Concordat textus in leg. ultim. ff. de Decretis ab ordine faciend. ubi ignorantia excusat ab incurrenda pœna legis, utpote statuta adversus scientes. Abbas, Felinus, ubi supra, et alii.

173. Loquendo autem de termino per hominem præfixo, si res adhuc sit integra potest illud fieri. — Resp. II. Nihilominus, quando terminus ad probandum est præfixus tantum ab homine (nimirum a iudice) non autem a lege vel statuto, possunt, si res adhuc sit integra, et iudici expedire videatur, secundum canonicam æquitatem admitti novæ probationes, et admittæ valent, etiam termino illo elapso, ac non obstante partis contradictione. Ita Glossa in Clem. Sæpe contingit. § Non obstante. de Verb. signif. Innocentius, Abbas, Felinus, ubi supra, et Mascardus cit. concl. 1236, n. 1 et 2, ac n. 11, et seqq. una cum aliis, quos copiose allegat; quamvis non pauci etiam oppositum teneant, pariter ab eodem Mascardo, n. 3 et seqq. citati.

174. Idque probatur. — Conclusio hæc desumitur ex c. Consuluit. 21, de Offic. delegat. ubi iudex non obstante termino peremptorio, quem assignaverat, potest partem non comparentem æquitate suadente expectare in diem sequentem; idem ergo dicendum in proposito. Concordat c. Si tibi absentis. 17, de Præbend. in 6, et textus notabilis in l. Mancipiorum, ff. de Optione legata: ubi si datur alicui terminus ad eligendum servum sibi legatum, hoc etiam elapso potest fieri electio talis servi, dummodo jus adversarii non sit factum deterius. Accedit ratio, simulque disparitas inter terminum a lege, et terminum ab homine præfixum: quia fortior est dispositio legis ad excludendum, quam dispositio hominis: nam lex, utpote per superiorem, et magna cum deliberatione pro communi bono condita, non suppletur per iudicem veluti inferiore: sed bene iudex supplet factum proprium: atque ideo terminus legis non potest prorogari; prout

in simili de decem dierum spatio ad appellandum concesso dicitur in c. Quod ad consultationem. 15, de Senter. et re judicat. et c. Concertationi. 8, de Appellation. in 6.

175. Secus, si res amplius non sit integra. — Additur notanter in conclusione, « si res adhuc sit integra. » Nam secus dicendum, si res amplius non sit integra: ut puta, quia ex mora probationum alteri parti grave damnum emerit; aut testes, quos tunc producere potuisset, interea mortui fuerunt, arg. cit. l. Mancipiorum, et c. Mora. 25, de Reg. juris, in 6. Idemque dicendum, si iudex instantiam partis adversæ jam pronuntiasset, talem fuisse contumacem in termino, ac de cætero super tali articulo non amplius esse audendum. Felinus, cit. n. 17; Mascardus ubi supra, n. 30, et alii.

176. Cautela pro advocatis quoad propositum. — Atque ideo cautela datur advocatis; ut elapso termino ad probandum, vel quid aliud faciendum peremptorie assignato, et adversario id non præstante intra terminum præfixum, accusent ejus contumaciam, ut iudex ad constantem ipsorum petitionem pronuntiet, eum fuisse contumacem. Quamquam iudex non statim teneatur ita pronuntiare, ob dicta in conclusione.

177. Solvitur instantia. — Nec obstat, quod terminus a iudice assignatus, sit peremptorius: et quod ex lapsu ipsius videatur alteri parti jus quæsitum, sicque non possit eo per iudicem amplius privari; prout fieret, si iste post lapsum dicti termini peremptorii adhuc admitteret probationes partis adversæ. Resp. enim cum Mascardo, cit. conclus. 1236, n. 14, terminum dici peremptorium dumtaxat quoad partes, seu quatenus pars negligens ex se, et ex jure suo non potest petere, quod suæ probationes post terminum peremptorium elapsum admittantur: nisi forsitan ei succurratur per beneficium restitutionis in integrum: non autem terminum illum dici peremptorium quoad iudicem. Unde iudex motus æquitate, potest quidem probationes quasi ex gratia adhuc admittere: non tamen ad instantiam partis jam exclusæ tenetur id facere; prout uberius jam fuit dictum supra, tit. XIV, de Dolo et contumacia, § I, n. 68, et seqq. Et per hoc patet etiam ad alteram instantiam: nam ex lapsu termini peremptorii solum censetur parti innocenti jus quæsitum respectu alterius partis; non vero respectu iudicis, utpote in cuius arbitrio est, suadente æquitate novas probationes post lap-

sum ipsius admittere, si voluerit. Aliæ objectiones, harumque solutiones, videantur supra cit., tit. XIV, § 2, n. 72, et seqq.

§ VII.

DE RESTITUTIONE IN INTEGRUM ADVERSUS OMISSAM PROBATIONEM, HUIUSQUE EFFECTIBUS.

178. Restitutio in integrum adversus omissam probationem datur Ecclesiæ, et minorenni, si graviter lædatur. — Queritur I. an, et qualiter ecclesiæ, vel minori competat restitutio in integrum adversus omissas probationes? Resp. I. Quando minorennis, vel ecclesiæ graviter læsa fuit ex omissione necessariarum probationum pro obtinenda causa, tunc ei conceditur beneficium restitutionis in integrum. Ita communis. Idque loquendo de minorenni, habetur expressum in l. Minor. 37, ff. de Minorib. illis verbis: « Minor viginti quinque annis omissam allegationem per in integrum restitutionis auxilium repetere potest. » Ubi Glossa § Allegationem. per hanc intelligit tum exceptionem dilatoriam vel peremptoriam, tum probationem omissam. Loquendo autem de ecclesiâ, id ipsum habetur in c. Auditis. 3, de in integrum restitut. ubi post conclusionem in causa, propter necessariam (ut asserebat) probationem omissam, utraque ecclesiâ, utpote fungens jure minoris, æquitate suadente, restitua fuit contra reliquam ad faciendam probationem antea omissam: ne alterutra pars propter hujusmodi negligentiam, gravi jactura lædatur.

179. Ita ut restituatur etiam contra aliam ecclesiâ, vel minorem. — Atque hoc ampliatur, ita quod ecclesiâ graviter læsa non solum restituatur contra privatum; ut cap. I. De in integrum restitut. Sed etiam contra aliam ecclesiâ; haud obstante, quod hæc pariter sit privilegiata, cit. c. Auditis, eod. ac notat Abbas ibid. n. 8. et Layma n. 6. cum aliis. Sicut et minor damnum passus restituitur adversus aliam minorem, l. Verum. § Item queritur. ff. de Minorib. estque uberius dictum, lib. I, tit. XLI. De in integrum restitut. § II, n. 42, et seqq.

180. An pariter possit restitui ad productionem testium post publicationem attestationum. — Ampliatur id ipsum ad productionem testium post publicatas attestationes. Si enim ecclesiâ, vel minor, non probavit intentionem suam, sicque graviter lædi deberet succumbendo in causa; tunc per viam restituti-

tionis in integrum, etiam post testium publicationem, potest super eisdem articulis alios testes producere, si quos habet meliores. Bartolus in l. 1, § *Nuntiatio*. ff. de *Novi oper. nuntiati.*; Barbosa cit. c. *Auditis*. n. 4. De in integrum restituit.; Mascardus, de *Probation.* concl. 1280, n. 15, et alii, paucis exceptis.

181. *An pariter possit restitui ad productionem testium post publicationem attestatorum.* — Sciendum tamen, quod Abbas in d. c. *Auditis*. n. 16, et Barbosa cit. n. 4, post Innocentium ibid. istud intelligendum censeant, quando ecclesia, vel minor, nullos omnino testes super tali articulo produxit: quia tunc post restitutionem in integrum debet audiri, secundum omnes; nullam enim tunc subest periculum subornationis, simulque hoc ipso, quod Ecclesia, vel minor non adduxerit testes, quos poterat, præsumitur ipsum fuisse deceptum. Secus vero, quando super eodem articulo antea produxit aliquos testes, quorum publicatio jam facta fuit: quia tunc timetur periculum subornationis testium, arg. Clem. 2, de *Testib.* Et sic, inquirunt, non debet restitui, cum contra ecclesiam, vel minorem sit præsumptio doli: nisi diligenti inquisitione per iudicem facta appareat, quod omiserit probationem, seu productionem meliorem testium ex sua facilitate, sicque excludatur præsumptio subornationis. Atque hoc ultimum esse singulariter notandum, videlicet, quod per restitutionem in integrum possit fieri productio testium publicatis attestatoribus, quando per causæ cognitionem excluditur præsumptio subornationis, censet Abbas cit. n. 16.

182. *Quæ conditiones ad restitutionem in integrum propter omissas probationes requirantur?* — Resp. II. Ut ecclesia, vel minor, propter omissas probationes, sive non productos testes intra terminum peremptorium, restituatur in integrum, requiruntur eadem conditiones, quas pro dicta restitutione generatim obtinenda requiri, uberius jam dictum est supra lib. I, tit. XLI. De in integrum restitutione. § 1, n. 8, et seqq. Videlicet, quod læsio sit gravis: nam de minimis non curat prætor. Item, quod læsio illa gravis acciderit dolo adversarii, vel sua facilitate, idque per læsum rite probetur: secus enim dicendum, si aliunde, seu ex casu fortuito, damnum accidisset. Item, quod propter omissam probationem revera quis patiatur damnum pecuniarum, vel tale lucrum amittat: nam si huiusmodi damnum ecclesie, vel minori non

sequeretur (ut puta, quia solum omisit contra adversarium opponere crimen, vel illud efficacius probare neglexit) tunc ei non conceditur restitutio in integrum adversus omissam probationem, per textum in l. *Auxilium*. ff. de *Minorib.* ubi in delictis, et pœnarum executionibus, dicitur cessare restitutio in integrum. Atque hæc omnia amplius patent ex dictis cit. lib. I, tit. XLI. § 1, n. 8, et seqq. et § IV, n. 104.

183. *An etiam necesse sit probare læsionem?* — Fatendum quidem, quod Abbas in c. *Auditis*. n. 7. De in integrum restituit. et Pirhing eod. n. 21, existiment, quod in petenda restitutione adversus probationem omissam non sit necesse probare aliter læsionem: nam eo ipso, inquirunt, apparet de læsione, quod ecclesia omisit necessariam probationem in termino. Accedit, quod in cit. *Auditis*. Pontifex nullam exigat probationem læsionis; sed restitutionem in integrum concesserit ex eo solum, « quia utraque pars necessariam, ut asserit, probationem omisit. »

184. *An etiam necesse sit probare læsionem.* — Verum, ut notat Barbosa in collectan. ad cit. c. *Auditis*. n. 5. istud fuit speciale in casu illius capituli, eo quod restitutio in integrum ab utraque parte simul peteretur, sicque neutri in concedenda petita restitutione potuerit præiudicium generari: alioquin vero non videtur standum simplici assertioni, sed opus est aliqua probatione læsionis, saltem summaria; vel ad minimum, ut detur fumus ejus per semiplenam probationem, prout loquitur Rutilius Paitellius Causar. civil. *Expedit*. 5 et annot. 5, n. 60. Si enim simplici assertioni omissæ necessariæ probationis standum foret, facile fraus contingere posset: unde leges restitutionem concedentes ludibrio fierent, ac lites plus æquo protraherentur.

185. *Utrum ecclesia, vel minor, adversus omissam probationem sæpius in eadem causa restitui in integrum possit? Refertur sententia negativa, una cum suis rationibus.* — Quæritur II. Utrum ecclesia, vel minor, adversus omissam probationem sæpius in una eademque causa in integrum restitui possit? Resp. In resolutione hujus questionis variant nonnihil doctores; prout videre est apud Rutilium Paitellium Causar. civil. *Expedit*. 5, n. 15. ubi pro et contra diversos auctores allegat. Et quidem sententiæ negativæ videtur adhærere idem Paitellius cit. n. 15. utpote

hanc posteriori loco adducens, et pro ea allegans Baldum in l. I et II. C. *Si sæpius in integrum restituit. petat.* et Afflictum decis. 114, n. 2 et decis. 35. qui hanc suam negativam sententiam probant in l. ult. c. de *Bonis quæ liberis*, etc. ubi filius restitutus in integrum ad capessendam hæreditatem, quam pater tempore suæ minorennitatis ejus nomine repudiaverit, non amplius restituitur in integrum ad eandem repudiandam. Accedit, quod in l. ult. c. *Si sæpius in integrum*, etc. expresse dicatur: « In una eademque causa iteratum in integrum restitutionis auxilium non jure, nisi novæ defensiones prætendantur, posci sæpe rescriptum est. » Verum his non obstantibus,

186. *Sententia affirmativa est probabilior, ejusque fundamenta.* — Opposita sententia, seu quod ecclesia, vel minor post obtentam semel restitutionem in integrum, v. g. contra probationes omissas, cognita et probata alia gravi læsione, iterum restitui possit, videtur probabilior, juriq; conformior. Ita tenet Glossa, et Bartolus « locis proxime citandis, » ac favet nonnihil Paitellius, cit. n. 15, post Asinium in sua *Praxi*, § 2, cap. xvi, n. 15. Idque probatur imprimis ex proxime allegato textu l. ult. c. *Si sæpius in integrum*, etc. ibi: « Nisi novæ defensiones prætendantur: » et consequenter, si novæ suppetant defensiones (puta, ob probationem antea minus bene intellectam, sicque omissam; vel ob instrumenta de novo reperta) concedendum est Ecclesie, vel minori, iteratum restitutionis auxilium. Accedit alius textus in l. *Et si sine*. § *Restitutus*. ff. de *Minorib.* expresse concedens, quod minor restitutus ut adeat hæreditatem, quam repudiaverat, cognita gravi læsione exinde sibi obveniente, possit iterum restitui, ut se absteineat. Ubi proinde Glossa § *Rursus restitui*, quam approbat Bartolus ibid. generaliter infert, quod restitutio in integrum, « si semel est concessa, iterum detur, ut hic: nisi in casibus » specialiter exceptis, qualis habetur in cit. l. ult. c. de *Bonis quæ liberis*, etc.

187. *Solvuntur rationes oppositæ sententiæ.* — Et per hoc patet ad rationes negativæ sententiæ, n. 185. allegatas. Nam, quod in d. l. ult. c. de *Bonis liberis*, etc. filius in integrum restitutus ad capessendam hæreditatem, antea suo nomine a patre repudiatam, non amplius restituatur: istud est speciale, atque ita constitutum propter reverentiam patris, et ne leges sint ludibrio; nam alias potest

minor sæpius ad audiendum, vel abstinendum restitui; prout respondet Glossa in d. l. ult. § *Non autem filio*, id probans ex cit. § *Restitutus*. Porro illud ex eo specialiter sic fuit constitutum propter reverentiam patris, etc. quia hæc facile læderetur (et quidem prætextu legum, num. præced. allegatarum) si filius impune posset nunc aspernari iudicium patris, et postea cognito suo errore illud denuo amplecti: unde ne temere permittantur filii aspernari iudicium paternum, recte eisdem, restitutionem in integrum adversus istud peccentibus, præcluditur regressus ad idem.

188. *Solvuntur rationes oppositæ sententiæ.* — Ad alterum textum patet responsio ex dictis n. 186. Favet enim nostræ sententiæ. Nisi forsitan cum Glossa fin. et Bartolo in cit. l. ult. c. *Si sæpius in integrum*, etc. dicere velis, ibi sermonem esse de restitutione, quæ semel jam fuit denegata: unde amodo non datur, nisi novæ causæ prætendantur, ne alioquin leges ludibrio fiant; estque amplius dictum supra cit. lib. I, tit. XLI, § 2, n. 39, 40 et 41. Secus dicendum, ubi restitutio semel est concessa; nam tunc iterum concedi potest cognita et probata alia gravi læsione; idque a fortiori, tum quia ejusmodi restitutio in integrum jam antea ob similem causam fuerat judicialiter concessa, sicque non mirum, ut denuo concedatur: tum quia, etiamsi antehac ipsa fuisset denegata, nihilominus ob novarum defensionum prætensionem ipsa nunc concedi deberet, juxta eundem textum supra allegatum.

189. *Finis probationum, quis?* — Quæritur III. Quis sit finis atque affectus probationum? Resp. I. Finis probationum est, iudici fidem facere, ita ut intelligere possit qualem sententiam ferre debeat. Ita in re communis; atque desumitur ex l. *Quinquaginta*. juncta Glossa fin. ff. de *Probation.* Ubi hæc de causa dicitur iudici faciendam esse probationem, non adversario, utpote qui semper negaret. Probationes siquidem ordinantur ad decisionem litis, et iudicii; ut inquit Petr. Ancharanus *Repetit.* in c. *Canonum statuta*. n. 217. de *Constitut.*

190. *Probationis plenæ, et judicialis, effectus præcipuus, quis?* — Resp. II. Loquendo de probatione plena, et judiciali, primus ac præcipuus ejus effectus est, quod iudex secundum ipsam, sive (ut aliis terminis loquantur) secundum allegata et probata teneatur ferre sententiam. Patet hæc ex can. *Judicet*. 3. q. 7 et l. *Rem novam*. c. de *Judiciis*. et l. VI.

§ *Veritas*. ff. de *Offic. præsid.* ubi Summarium allegat illud vulgatum : « Judex debet judicare secundum allegata et probata, non autem secundum conscientiam. » Verum de hac plura dixi lib. I, tit. XXXII. de *Officio judicis*. §§ 2 et 3. Ibi videatur.

191. *Semiplenæ probationis non est magnus effectus*. — Additur notanter, « loquendo de probatione plena et judiciali. » Nam semiplenæ probationis non est magnus effectus, adeoque nomine *Probationis* simpliciter positæ non venit : et si actor suam intentionem non, saltem non sufficienter probaverit, habebit locum illud vulgatum : « Actore non probante reus absolvitur ; » ut dicitur, c. *Cum Ecclesia*, § fin. de *Caus. possess.* illis verbis : « Actore non probante reus, qui convenitur, etsi nihil præstiterit, obtinebit, » cum concordantiis.

192. *Alter plenæ probationis effectus declaratur*. — Alter effectus plenæ probationis est, quod purgatio canonica contra eam non sit admittenda : nam si probari potest legitime testibus fide dignis reum deliquisse, ejus probatio per purgationem canonicam, quod non deliquerit, non est admittenda, text. c. ar. c. *Ad nostram*. 12. de *Probation.* Idem a fortiori dicendum, si crimen existat notorium : et tunc non esse indicendam reo purgationem canonicam, sed in eum condemnationis sententiam promulgandam, expresse habetur decisum in c. *Cum dilectis*. § penult. de *Purgat.* canon. Concordant dicta superius § 5, n. 134.

193. *Probatio semiplena etiam non caret omni effectu; et qualem habeat?* — Resp. III. Probatio semiplena etiam non omni prorsus caret effectu : nam interdum facit aliqualem fidem, ut vel deferatur juramentum supplementarium parti adversæ, vel onus probandi in adversarium transferatur, vel ei injungatur purgatio canonica : quandoque ea præstat iudicium sufficiens ad torturam. Sed de horum ultimo jam dictum est supra tit. XVIII. de *Confessis*. § 6, n. 139. de aliis vero commodius agetur in propriis locis.

TITULUS XX.

De Testibus, et Attestationibus.

1. *Ratio continuationis rubricarum*. — Viso de probationibus in genere, sequitur de iis-

dem in specie : et quia probatio, quæ fit per testes, est efficacior cæteris, cum fiat viva voce; ideo præmittitur præsens rubrica de *Testibus*, et postea agitur de reliquis.

2. *Testes, et attestaciones, quid?* — Porro generatim loquendo *Testes* sunt personæ, quæ ad fidem alicujus rei astruendam adhibentur : *Attestaciones* vero sunt ipsorum testimonium depositiones, seu asseverationes super facto aliquo.

§ I.

DE TESTIBUS IDONEIS, ET MINUS IDONEIS IN GENERE, HORUMQUE REPULSIONE, AC OBLIGATIONE FATENDI SUAM INHABILITATEM.

3. *Quid generatim requiratur ex parte testium?* — Quæritur I. Quid generatim requiratur ex parte testium? Resp. I. Requiritur imprimis, ut « Testes non conducantur pretio, ut sint idonei et fideles, ac ut nullus testimonium dicat, nisi jejunos. » Ita textus in cap. 1. h. t. junctis concordantiis ibidem a Glossa relatis.

4. *Testibus non sunt examinandi, nisi jejuni, de honestate*. — Cæterum id, quod additur de testibus non examinandis nisi jejunis, est intelligendum de honestate, non de necessitate, arg. can. *Honestum*. 22. q. 5. ac notat Glossa fin. cit. cap. 1. h. t. et Fagnanus in c. *Audivimus*. n. 58. de *Reliquiis et venerat. Sanctior.* asserens istud esse consilium, et non præceptum. In præxi tamen standum est consuetudini locorum, utpote quæ est optima legum interpretis : et magis decens est testes examinari jejunos, quia sunt magis sobrii; prout notat Abbas ad cit. cap. 1, n. 4, h. t.

5. *In testibus sex sunt consideranda, nempe conditio, sexus, vita*. — Resp. II. In testibus plura sunt consideranda, ac præsertim sex, videlicet conditio, sexus, vita, ætas, dignitas, atque fortuna. Ita communis; idque liquet ex diversis testibus juris. Et quidem priora tria requisita referuntur in c. *Forus*. 10. de *Verb. signif.* illis verbis : « Testes antiquitus superstites dicebantur, eo quod super causæ statu proferebantur : nunc parte ablata nominis, testes vocantur. Testes autem considerantur conditione, natura, et vita. Conditione, si liber, non servus : nam sæpe servus metu dominantis testimonium suppressit veritatis. Natura, si vir, non femina : nam varium, et mutabile testimonium semper femina producit. Vita, si innocens, et integer

actu : nam si vita bona defuerit, fide carebit ; non enim potest justitia cum scelerato homine habere commercium. » Hæc ibi.

6. *Item ætas, dignitas et fortuna*. — Cæterum posteriora tria requisita, seu consideranda in testibus (hoc est, eorum dignitas, ætas, atque fortuna) habentur ex l. II. et III. ff. h. t. Ubi ad longum recensetur qualitates in testibus desideratæ : atque inter alia in persona testium explorandum dicitur, « Utrum quis decurio an plebeius sit : et an locuples, vel egenus sit, ut lucri causa quid facile admittat : vel an ei inimicus sit, adversus quem testimonium fert ; vel amicus ei, pro quo testimonium dat, etc. » Et infra, postquam inter alios a testimonio dicendo excluditur impubes, subjungitur. « Nam quidam propter reverentiam personarum, quidam propter lubricum consilii sui, alii propter notam et infamiam vitæ suæ admittendi non sunt ad testimonii fidem. » Hinc illi vulgati versiculi apud cap. II. h. t.

Conditio, sexus, ætas, discretio, fama,
Et fortuna, fides : in testibus ista requiruntur.

7. *Testis idoneus, quis?* — Quæritur II. Quis dicatur testis idoneus, legitimus et integer, et an differat a teste omni exceptione majori? Resp. I. Ille dicitur « Testis idoneus, » qui nulla exceptione legitima repellitur. Ita Glossa in cap. 1. §. *Idonei*. et Abbas ibid. n. 3. h. t. et communis ; idque patet ex l. I. ff. de *Testib.* ubi omnes illi pro testibus idoneis agnoscuntur, « quibus non interdicitur testimonium. »

8. *Vocatur etiam testis legitimus, et testis integer*. — Et hujusmodi testis idoneus alio nomine appellatur « Testis legitimus, » utpote secundum leges ad ferendum testimonium admittendus ; cum nulla legitima exceptione repellere valeat. Et cum isto in re convenit « Testis habilis, » ac « Testis integer, » seu integra opinionis : qualis dicitur ille, contra quem nulla urget suspicio. Farinacius, tit. VII. de *Testib.* quæst. 62, n. 5.

9. *Omnes censentur testes idonei, nisi expresse per leges repellantur*. — Unde notandum, cum omnes censeantur esse testes idonei, seu legitimi, nisi quia testimonio dicendo per leges seu canones expresse repelluntur. Glossa cit. cap. 1. §. *Idonei*. h. t. Ratio est : quia edictum de testibus prohibitorium est, ut quilibet admittatur, qui non repellitur aliqua lege a testimonio ferendo, l. I. ff. h. t. Accedit, quod quilibet præsumatur idoneus,

nisi probetur malus, cap. ult. de *Præsumpt.* cum concordantiis.

10. *Testis idoneus an sit idem, ac testis omni exceptione major?* — Resp. II. Etsi plures doctores velint, quod testis idoneus idem sit, ac testis omni exceptione major : verius tamen est, quod testis omni exceptione major sit aliquid plus, quam idoneus. Prior pars est Glossæ in cap. 1. §. *Majores de Consanguinit. et affinit.* ubi inquit, quod illi « Testes dicantur omni exceptione majores, qui re ipsa non possunt aliqua exceptione. » Itemque tradit alia Glossa § *Item verborum* §. *Idoneus*. Instit. de *Inutilib. stipulat.* et Abbas in cit. cap. 1, n. 5. de *Consanguinit. et affinit.* ac plurimi alii, quos pro hac sententia citat Prosper Farinacius de *Testibus*, quæst. 62, n. 2.

11. *Sententia negativa suadetur*. — Altera vero pars est Mascardi de *Probation.* concl. 1024, n. 15. ubi inquit, quod testis idoneus plurimum distet a teste omni exceptione majori : et allegat pro hoc suo dicto Felinum in rubric. de *Sponsalib.* col 4, n. 5; Socinum Jun. consil. 88, n. 8, vol. II; idemque tenet Farinacius, loc. cit. n. 3, allegans alios. Ratio est, quia sicut in aliis rebus dantur tres gradus, videlicet positivus, comparativus, superlativus ; ut puta bonus, melior, optimus, l. *Ubi autem*. § 1. ff. de *Verb. obligat.* ita et in testibus idoneis debent admitti testes magis idonei, qui scilicet majoris existunt honestatis existimationis, c. *In nostra*, 32. h. t. et testes summe idonei, qui nimirum sunt optimæ opinionis et qualitatis. Unde consequens est, quod testis idoneus, veluti positivo contentus, minorem qualitatem importet, quam testis omni exceptione major, seu in comparativo acceptus : hic enim censetur esse fidelior testis, ac magis fide dignus, quam testis simpliciter idoneus, seu legitima exceptione non repellibilis. Ita Farinacius, cit. n. 3, credens hanc esse veritatem, quidquid in contrarium alii doctores affirmarint.

12. *Testes minus idonei, quid?* — Quæritur III. Qui generatim sint testes minus idonei, seu inhabiles? Resp. I. « Testes minus idonei (qui alio nomine testes inhabiles appellantur) » sunt illi, quibus aliquid opponi potest, quod eorum testimonium debilitat, vel penitus evacuat. Ita in re communis.

13. *Testes reprobantur vel ex vitio personæ, vel ex dictis suis?* — Porro ex duplici defectu generatim contingit testes reprobari : videlicet, aut ex vitio personæ ; ut, quia aliquis